

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA  
ORDINIS MEDICI PRODECANI  
ET PROFESSORIS PRIMARI  
GEORGII GOTTLOB RICHTERI D.  
CONSILIARII AVLICI ET ARCHIATRI REGII  
INVITATIO

AD

DISPVATIONEM MEDICAM  
IN AVGVRALEM  
CANDIDATI MEDICINAE DIGNISSIMI  
IOANNIS CHRISTIANI SENCKENBERGII  
FRANCOFVRTENSIS AD MOENVM

DIE IV. SEPT. A. O. R. MDCCCXXXVII  
LOCO HORISQVE CONSVETIS HABENDAM.



GOTTINGAE,  
STANNO IOH. CHRIST. LVD. SCHVLTZII,  
ACAD. TYPOGR.



IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA  
ORDINIS MEDICI PRODECANI  
ET PROFESSORIS PRIMARIJ  
GEORGII GOTTLIB RICHTERI D.  
CONSILII AVVICI ET ARCHIATRI REGII  
INVITATIO

AD

DISPUTATIONEM MEDICAM  
IN AVGVRALEM  
CANDIDATI MEDICINAE DIGNISSIMI  
IOANNIS CHRISTIANI SENCKENBERGII  
FRANCOPVLTENSIS AD MORVVM  
DIE IV. SEPT. A. O. R. MDCCCXXXVII  
LOCO HONORAE CONSVRTIS HABENDAM




GOTTINGAE  
STANNO ION. CHRIST. LVD. SCHALTEN  
Acad. Typogr.





**N**on tam expeditum est, vt multis videtur, de plantarum viribus iudicium, nisi ad illas erundas & a tergo & a facie pateat accessus. Quī solas hic experientias iactitant toties sibi contrarias & vanitatis saepissime conuictas, minime illudent doctioribus, quibus incognitum non est, hanc veritatis inueniendae viam multis obseptam difficultatibus eos omnes aditu arcere, qui post rite definitum corporis aegrotantis statum, eorumque, quae illud quotidie ingrediuntur & mutant, caute perspectam indolem iustos subducere calculos, & in sola superuenientis nouae mutationis constantia fidem medicamento explorare nesciunt. Fallacis experientiae querelas ingeminauit Hippocrates, & cum eodem hodie ingeminant germani artis filii, quid non fallaciarum penes illos, qui difficillimam accuratae obseruationis normam nunquam assequuntur, germinabit? At ex altera parte longe peius de medicina merentur, qui ex quibusdam obscurissime stabilitis principiis nunc has nunc illas agendi leges inuestigandis corporibus in antecessum tribuunt, & ex arbitrio mūnera partiuntur. Quantum in repurganda medicina his eliminandis ingeniorum sordibus opus fuerit, diuersissima elapsis seculis medicinae facies declarat. Nec opera eximiorum nostro aeuo virorum fucum adhuc omnem deterfit & natiuum arti colorem restituit. Dubium tamen non est, si rebus exactiori sensuum testimonio cognitis seueriores ratiocinandi leges cum *Borellis Pitcarniis Bellinis Keiliis Boerhaauis* aliisque provide






accommodemus, nec scopas illas dissolutas, quas vbiuis reperimus, opera nimis tumultuaria congregare & systemata condere festinemus, habituros nos esse cumulatius, de quo & medici & aegroti sibi mutuo gratulentur. Itaque etiam in plantarum examine perplacet paucorum Chemicorum circumspēta prudentia, qua per simplicissimos mutationum gradus insitas earum virtutes scrutantur, & ex organica structura, quam iis fere cum animali corpore communem doctissimi viri delinearunt, examinis varie instituendi necessitatem colligunt. His moris non est, quasiare plantam & vnum ex tot variis partibus succum exprimere, aut violento statim igne, quicquid in iis latere possit, extorquere, & tanquam eiusmodi, quod omnes plantae facultates possideat, interpretari. Sciunt illi, sic aequè ineptum ferri iudicium, quam si quis iudex de humani corporis fluidis & bilem & lotium & sanguinem & omnia inter se permixta sub vnum examen reuocare, imo igne quocunque & dubiae fidei instrumentis plus permutare velit. Est plantis sua epidermis, sunt sua vasa exhalantia, quibus cutis subiacet cum panniculo adiposo, qui ex inflicto vulnere resinam, gummata, lacrymas aut aliam adipis speciem plorat. Sunt iis vasa absorbentia, quae velut in omni superficie sita sunt, ita inprimis ex poris radicum succos nutritios terrae per sabulum percolatos recipiunt, & definito a laudatissimis viris *Halesio Desaguliero* aliisque motu per propria vasa vehunt, quibus spiritaliter accumbunt tracheae aerae & fibrae fulcimenti loco seruiētes, ita vt recepta moueantur, mutantur, quaquauersum distribuantur, ad certos vsus varie segregentur, repurgentur certisque iterum locis  
eli.





eliminenter. Vnde est, cur sapor & odor fatuum magis  
in radice liquidum, in ramis maioribus plus excoctum,  
in foliis adhuc elaboratius, in floribus elaboratissimum  
deprehendant, quibus sine dubio singulis peculiaris  
vis inest minime confundenda. Haec organica fabricae  
varietas efficit, vt idem qui attollitur in plantam succus,  
dulcis in arundine saccharifera, amarus in colocynthi-  
de sit, vt flauus coloris in chelidonio, albus in tithymalo,  
ruber in beta appareat, & vt alias vires cortex alias radix  
alias flores alias baccae & semina comprehendant. Quin  
& haec ipsa mire inter se differunt, quae maxime cognata  
videntur, vt spirituum vegetabilium vis neruos affici-  
endi, ex quibus odoratissimum hyacinthi spiritum hy-  
stERICIS ciere spasmos, spiritum rutae licet similiter  
praeparatum ortos sedare videas. Omnia, quae debet,  
Chemia praestitit, si singulis partibus seorsim euoluendis  
apta instrumenta eaque suo ordine admouet, quae mu-  
tabiliora sunt, primum leniter & sine vi segregat, de-  
inceps fixiora diuellit, & ita per gradus corporum com-  
pagem soluit. Quae ita adquiruntur & in suas redu-  
cuntur classes, siue aquae siue spiritus siue salis siue  
olei siue terrae nomine veniant, siue in hoc siue illo sim-  
plicitatis suae aut etiam miscelae gradu considerentur,  
communes facile vires suas manifestant, at quomodo  
singula inter se in sua specie differant, id acerrimi iu-  
dicii vim eludere, non aequae sollicitae experientiae  
oculos fallere solet. Inter omnes plantarum partes  
fortassis floribus tanquam in summo perfectionis apice  
constitutis plurimum tributum est, quorum tamen fu-  
gitiua sunt munera, cum plerique sal volatile oleosum  
aromaticum, quod vix vasis coerceri ac contineri pos-  
sit,





fit, alii vt meliloti mucaginem tenuem, pauci sal fixum vt calendulae, at paucissimi plusculum terrei elementi vt flores nymphaeae & balauftiorum complectantur. Propterea cum delicias formae & suauitates odorum conlectamur, rarior est insequentium saepe baccarum messis, quae tamen penetrantissimi olei & salis vberi prouentu non modo gaudent, sed et cum gloria insitae praestantissimae virtutis laudem fixitatis & durabilitatis coniungunt. Quam praeclara prorsus sit & eximia, quae ex baccis iuniperi lauri similibusque parantur in aegrotorum praesidium, & in expugnandis morbis chronicis, multiplex experientia loquitur. Idem inprimis de baccis liliorum conuallium valet, quas ob exambiti floris fragrantiam pauci permittunt ad statum maturitatis suae peruenire, dignas ceteroquin penitiori indagine. Atque his inter priuata artis tentamina peculiarem operam nauauit, quin & inde disertationis suae inauguralis argumentum petiit nobilissimus doctissimusque medicinae Candidatus

IOANNES CHRISTIANVS  
SENCKENBERG,


de cuius ingenio & doctrina bene ominamur, & hic pro more vitae eius curriculum, quod & ex sua parte spem hanc confirmet, paucis atteximus. Francofurtum ad Moenum eruditissimorum virorum haud infocunda mater eum in sinu suo genuit anno huius seculi septimo, mensis februarii die vigesimo octauo. Pater ei fuit primarius ciuitatis illius Physicus, *Ioannes Hartmannus Senckenberg*, consummatae tum experientiae tum do-  
ctrinae






Strinae medicus, quem cum magno aegrotantium desiderio trigessimus huius seculi annus e viuentium coetu furripuit. Mater *Maria Margareta*, *Antonii Raumburgerii* I. V. D. & publicis ciuitatis negotiis expediendis praefecti, vulgo *Stadtschreiber*, filia, intemeratae fidei & pietatis matrona etiam nunc superstes in prole tam laetis auspiciis efflorescente vero perfruitur fortunatae matris solatio. Aetate iam iuuenili, quam fidelissima scholarum disciplina excoluit, studium optimi Parentis amplexus, manumque paternam, quae ipsa duceret, exosculatus est. Magnae tam tenerae menti illecebrae fuerunt, amoenissimam spectare tot plantarum varietatem, quae circa illam urbem laeto hortorum prouentu germinant. Igitur tum temporis maxime Botanicas delicias sectatus est, nec datur alia medicinae pars, quae in isthoc vigore sensuum & inter illa promptissima memoriae praesidia feliciter a iuuenibus excolitur. Nec tamen in his substitit solertissimi parentis cura, quamuis inter tot alias grauissimi muneris occupationes diuisa. Suggestit crescenti aetati & per regulas & per exempla, quae omnem medicinam illustrarent, & nouas continuandae industriae faces in animo filii accenderent. Inter haec noster humanitatis & philosophiae studia sub Rectore & Collegis Gymnasii patrii cum laude absoluit. Quae studia emensus autumnus anni 1726. Laubacum se contulit, experientissimi agnati sui, *Io. Iacobi Reichii*, illustrissimorum Comitum illic locorum Archiatri fide & institutione vsurus. Suppeditauit integerrimus vir ex penu locupletissimarum obseruationum tum physici tum medici argumenti, quae noster per annum fere alacri ingenio comprehenderet. Post reditum in patriam





triam accessit Anatomica & Chirurgica Institutio excellentissimi viri, *Ioannis Michaelis Büttneri*, nunc primarii Physici Francofurtensis, nec minus exaesiata opera Physici ibidem ordinarii celeberrimi *Ioannis Iacobi Grambsii*, cui in Anatome practica & cognitione materiae medicae insignem profectuum suorum partem tribuit Candidatus noster. Quid de parente addam, cuius palam est non quieturas fuisse operas in adolescente, quas in puero cum voluptate collocarat. Haec per triennium noster egit, vicinasque regiones crebro peragravit, ad aerem aquas naturas moresque hominum attendit, triplicesque naturae opes, & quae alia medico vsui commoda videbantur, cum industria & pro viribus aetatis excussit. In qua studiorum maturitate cum annorum viginti trium esset, Academiam Halensem petiit anno 1730. & per biennium grande illud medicinae decus, illustrem *Fridericum Hoffmannum* in physicis & praxi medica audiuit, pariterque professores alios eximiae famae, *Michaelem Alberti* in omni medicinae parte, *Ioannem Iunckerum* in Chemia & materia medica & praxi clinica, *Io. Henr. Bassium* in Chirurgia Anatomia & arte obstetricia assidue sectatus est. Atque vt horum omnium ita maxime laudatissimi *Iunckeri* benevolentiam erga se extollit. Accidit sub finem anni 1731, vt aduersae valetudinis causa Halam venerit vir perillustis *Rudolphus Antonius ab Heringen*, Dominus Mehrlae Keulae Bouentae, Serenissimi Principis Saxonis Gothani consiliarius secretior & ad comitia nomine Ducatum Gothani & Altenburgici ablegatus. Is sibi nostrum in itinere comitem ac medicum delegit, secumque postea habuit Mehrlae & Erfurti,  
vbi






vbi celeberrimi consiliarii & Professoris *Hermanni Pauli Iuchii* amore frui Candidato nostro licuit, qui post reparatam perillustris Viri valetudinem in patriam rediit ad medicinam faciendam. Anno 1735. trans Rhenum, vt latentes ibi naturae diuitias scrutaretur, comitatus est amantissimum fratrem suum *Henricum Christianum Senckenbergium*, quem Consiliarium regium & Professore iurium ordinarium haec colit academia nostra, tunc Consiliarium Rhengraucum. Atque illo tempore noster ad aulam illustrissimae comitis viduae *Ludouicae*, natae Comitis Nassouiae, post fata *Caroli* Dhunae Kyrburgique Wildgrauui terras illas illustrissimae prolis nomine regentis secessit, multisque aegris & inter hos praecipuae dignitatis viris arte sua consuluit. Redditus denuo peractibus suis sine partium studio sine vanae gloriae cupidine Deo aegrisque seruire perrexit, & ne illotas manus sacris medicinae intulisse videretur, adquisitam tot annis scientiam suam examini ordinis Medici in hac Academia Georgia Augusta submittere honoresque & priuilegia ac iura doctoris medici petere voluit. Haud refragari tam iusto petito licuit, nec peractis examini- bus dubitare, quin in dignum & bene merentem haec academicorum honorum praemia caderent, quae illi proinde totius collegii medici consensu decreta in solemni illa panegyri, quae die XVIII. huius mensis instat, bono cum Deo conferam. Ipse vero vt reliqua, quae sui muneris sunt, expleat, disputationem inaugu- ralem de *Lilii conuollium eiusque imprimis baccae viribus* conscriptam die IV. huius mensis eruditorum exponet placidae disquisitioni, ac sine praeside defendet, & rem omnem sermone de *pietate medici* ordietur. Cui vt

)

prae-





X



praesentiam suam ac beneuolas aures commodare ve-  
 lint, *Magnificum Academiae Commissarium, Illustrissimos*  
*S. R. I. Comites, grauissimos Academiae proceres, Hospites*  
*omnium ordinum ac dignitatum honoratissimos Ciuesque Aca-*  
*demiae generosissimos nobilissimosque* obseruanter & per-  
 humaniter inuito. P. P. die III, Septembr. A. O. R.  
 MDCCXXXVII.

